



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Leo cum Aulicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

est, exclamat, sanguis è plagâ fuit: Glans minima tam grande infligit malum. Quid si Cucurbita cecidisset? Nihil immutandum sentio. Rerum artifex suis prudenter cuncta disposuit locis.

LEO CUM AULICIS.

Aulæ regales divitias jactandi cupidus Leo superbum ad convivium vocavit è regno toto belluas. Adfunt frequentes; nam quis abnuat oblatum à Rege decus? Aditus in aulam panditur, semesa quam cadavera & recens fusus cruor Mephyti vaporabant gravi. Hausère cuncti tetram odorem; cujus inter reliquos Ursus impatiens, continuò providâ nares occlusit manu. Bilem Leoni movit belluæ fastidium; factoque in Ursum impetu Rex immisericors multavit nece. Iram Leonis Simius contrà approbans; næ meritas, inquit, ô Rex, tibi pœnas dedit caput inficetum: Balsamum omnia & ambrosiam hîc olent, si quid sagaci nare rimari liceat. Nec Regi placuit putida adulatio, missisque in Simium unguibus assentatorem fato damnavit pari. Stabat Leoni propior Vulpes calida, quam percunctatus ille, quid sentis, ait? quis eruditas nares afflavit odor? Ignosces, retulit illa, Rex magne, obsecro; nam tantus humor de cerebro fluxit nocte proximâ, nasum ut penitus haberârit meum. Sic innocenti mortem vitavit dolo.

EPIMYTHION.

*Ursum multi Principes, Simium pauci
enecant.*

MULI DUO.

Viam carpebant pariter Muli duo. Alter
ferebat regiam pecuniam, alter timentes
saccos hordeo. Ille superbus pretioso
pondere, & celsâ cervice eminentes jactabat
appensum collo tintinnabulum & amaris socium
illudebat jocos. Hic tenuitatis conscius, ut par
erat, suæ, demittebat auriculas, nihil murrere,
nihil ausus contrâ obloqui. Hæc inter nemorum
è latebris Latrones advolant, & facto gloriosum
in Mulum impetu cunctas diripiunt opes, ipsamque
plagis plurimis conficiunt belluam. Prædâ
potiti celerem capiunt fugam vile aspernati hor
deum. Spoliatus ille fortem cum fieret suam
Equidem, inquit, alter, non ego accuso Deos,
nam neque amisi quidquam, nec sum læsus vul
nere.

EPIMYTHION.

*Magna periculis subjacent magnis opes
secura semper inopum tenuitas,*